DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

DIABETE MELLITO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS FILKIN,

Anglus

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

—" Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multum adhuc restat operæ, multumque restabit. Neque ulli nato post mille secula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi."——SENECA.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

AMICIS CARISSIMIS,

THOMÆ BARKER,

ET

JOANNI BARKER,

ARMIGERIS,

AUCTOR.

Paternæ pene et insignis, qua me fovistis cura, recordantem, hæcce, vobis, Dilectissimi, animus quam gratissimus ad sacranda monet. Quæcunque homini exoptanda, secus ac meruistis contingant, precor.

VIRO AMICISSIMO,

JOANNI MACARTNEY, M. D.

LIVERPOLIENSI,

QUÆCUNQUE HOMINEM ORNANT,

VIRTUTIBUS PRÆDITO,

CUJUS SUB AUSPICIIS

REI MEDICÆ PRINCIPIA DIDICIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS,

DICAT, DEDICAT, CONSECRATQUE

THOMAS FILKIN.

VIRO CELEBERRIMO

ALEXANDRO MONRO,

M. D. S. R. S. E. &c.

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

MULTA PROPTER ET MAGNA BENEFICIA

ACCEPTA,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI

TALIUM HAUD IMMEMORIS

TESTIMONIUM,

OBSERVANTIA SUMMA,

DEDICAT

THOMAS FILKIN.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE MELLITO.

PRÆFANDA.

Ex iis valetudinis adversæ generibus, quæ diutina, sive *chronica,* non derepente vitæ flammam extinguunt, at tenta tabe hominem pedetentim consumunt, haud ullum pluris medicorum scrutari interest, quam *Diabetem mellitum;* qui nuperorum ingenia plurimum exercuit, et magna ex parte fefellit. De hoc morbo, summos medicinæ honores ambiturus, pauca literis mandare statui:

non sane professus ejus nodos me posse expedire; sed quæque notatu dignissima huc attinentia brevi sermone editurus.

Genus humanum hoc malo nusquam et nunquam vacavit: cum vero medici vetustiores quam paucissima et manca de eo scripserint, ipsum iis temporibus rarius, ideoque ejus naturam parum cognitam, judicare licet.

GALENUS* hanc valetudinem bis sibi curare contigisse, tradidit: ægros istos admodum sitiisse, et crebro bibisse, tulit. Alibi tamen notas protulit, unde *Diabeticos* eum plures vidisse, conjiciendum. Veruntamen naturam morbi propositi eum nescivisse hinc patet, quod notas duas insignes, sitim et ingentem esuriem, pro causis, habuisse videtur.

ARETÆUS† quoque hunc morbum tetigit; leviter profecto: quippe quem rariorem contendit. Quantulicunque vero sint, quæ de eo edidit, fateri oportet, ARETÆUM lucidissime et verissime omnium, qui ante WILLISIUM florebant, *Diabe-*

* Vide GALEN. de Locis affectis, lib. vi. cap. 3.

† ARETÆUS de Morbis Chronicis, lib. ii. cap. 2.

tem descripsisse: illud unicum admiror, quod hic naturæ scrutator acer de urinæ sapore proprio tacuit.

Ea vox "Diabetes" Græco fonte gaudet, verbo illo Διαβαινω deducta. Hoc nomen antiquis placuit, eo quod renes perquam laxatos, ideoque, cribri instar, humoris accepti retinendi impotentes, crediderint. Alia quoque nomina hic morbus accepit; quæ sunt *Hydrops Matellæ, Profluvium urinæ, Dipsacon, Morbus sitibundus* *, &c.: de quorum origine silere, quam inutiliter sermonem producere, malo. Hisce autem nominibus illud objicio; quod eorum auctores copiæ urinæ ingenti soli, dotibus ejusdem, aliisque notis quibusdam prætermissis, instituisse videntur: usu enim didicimus, morbum, de quo agimus, interdum gravissimum sæviisse, demumque enecuisse, urina non æquo copiosiori; at reliquis signorum quæsitissimis et clarissimis.

Nonnulli nomini huic malo eas voces "Morbus Anglicus" indiderunt; Britannos eidem præ aliis

---

* Girdleston's "Historical Sketch of Diabetes."

gentibus opportunos esse professi: recte an secus de hac re senserint, anceps hæreo. Quomodocunque tamen se habeat, nostrates certe plus operæ quam alienos, ad *Diabetis melliti* naturam, causas et curationem indagandas et patefaciendas, collocasse, haud dubitari potest.

Ex omnibus recentioribus, qui animum huc appulerint, nullus omnino Rollo antecellit: qui luce equidem nova *Diabetem* illustravit; urinæ dotes mutatas pluris, quam ingentem copiam, habendas edocuit; novumque excogitavit remedium, malis saltem leniendis habile; quanquam honore pristino non idem dignemur.—Hæcce præfatus, ad ipsum argumentum transibo.

QUÆDAM DE DIABETE ORDINANDO ET DEFINIENDO.

Cullenus *Diabetem* classi Neuroses, ordinique Spasmi subjecit, et ita definivit, "Urinæ "plerumque præternaturalis, copia immodica, pro-"fusio chronica *." Hic medicus præclarus ita

* Synopsis Nosologiæ Methodicæ, Gen. 60.

eum ordinavit; quod urinam copiosiorem arteriis secretricibus incitatis tribuit. Duas adjecit *species*; scilicet, *Diabetem Mellitum*, et *Insipidum*: quorum illi urina mel aqua dissolutum refert; huic vero, pallida et saporis expers, excernitur. Cum vero patet hunc morbum, CULLENO florente quam tempore hodierno, multo minus fuisse perspectum, missa definitione jam proposita, hancce proferre malui: "Urinæ dulcis copia ingens; alia omnia ex secernendis et excernendis suppressa; bulimia; macies; demum febris hectica."

Hæc definitio *Diabetem mellitum* solum amplectitur: CURRY enim aliisque assentior, qui *Diabetem* duplicis esse generis negant: urinam nempe iisdem ægris modo insipidam, alias dulcem esse, opinati: quod ipsum ROLLO se observasse tradidit; cuidam nimirum ægro urinam hora diei septima pallidam et saporis egenam, aliquanto postea, naturalem; bihorio inde exacto, dulcem, vesperi iterum naturalem effluxisse, profitetur *.

* ROLLO "on Diabetes," 2d edit. p. 275.

Ne igitur multa, judicare licet *Diabetem* unius esse generis: urinam insipidam copiosiorem, modo *Diabetis melliti* signum esse, brevi abiturum, modo *Hysteriæ* morbisque huic similibus accedere; at nunquam *Diabetem insipidum idiopathicum* aggredi.

Si morbi recte definiuntur, signis eorum perpetuis et propriis enarratis, adventitiismissis, Definitio Culleniana manca est habenda; quippe quæ tribus notis perquam memorabilibus caret; nempe, siti, cute arida, et cibi cupiditate abnormi: quas omnes subesse definitio altera supra relata significat.

Franciscus Home * sic definivit, "Urina "aucta et subdulcis, sitis perpetua, cutis arida, "et plerumque squamosa." Neque maculis hæc vacat definitio.

Denique, Rollo †, vir qui summa acie hoc malum indagavit, hancce edidit definitionem: "Desiderium cibi inexplebile, sitis perpetua; "urina aucta et subdulcis, pulsus frequens, calor

---

* Home's "Clinical Experiments."

† Rollo "on Diabetes."

"parum auctus, cutis arida, cum marcore." Hic quoque de febre hectica; quæ *Diabeti* jam in fatum abituro nunquam deest, prorsus siletur.

DE SIGNIS.

Diabetes mellitus longe sæpius tardo tentoque passu obrepit; eo sane ut plures menses ægrum ipsum atque medicum prorsus lateat. Alios profecto pede citiori invadit, jam iniens signis evidentibus denuntiandus.

Inter notas omnium primas habenda sunt vires insigniter lapsæ, mens et genus nervosum hebetiora, et somnus multum turbatus. Ipse tamen ægrotus sitim inexplebilem, præ aliis signis, initio notat et queritur: paulo postea urina copiosior excerni cœpit: quod tamen æger parvi facit, molique potus ingenti ingurgitatæ tribuit. Indies urinæ copia increscere pergit, demum hominem territura: qui cibi fit multo appetentior et edacior, quam fert natura: nec esuries eodem ingesto satiari potest. Perpauci equidem cibos fastidiunt. Humoribus oris mutatis, gustandi facultas vitia-

tur, quod Home * noster luculenter notavit: se enim gulosum quendam novisse refert, qui *Diabete* implicatus gratissimi cibi saporem percipere nequibat. Os et fauces arent, eorum succo parciori, et præter consuetudinem glutinoso: saliva fit viscida, modo subdulcis, modo subacida. Linguæ pars media albescit, margines læte rubent. Gingivæ spongiosæ saturo rubore florent, tument, modoque exulcerantur. Dentes soluti alveolis parum firmi insident, insolito candore nitent; et sensus ingratus ad eos refertur, isti similis, quem naturæ acidæ iisdem illatæ movent. Ardoris quoque sensus circa ventriculi os superius torquet; qui ventrem universum aliquando permeat: inflatio ventriculi simul molestiam gravem facessit. Lumbi vehementer dolent, maximeque ægro ambulanti, equitanti, aliove modo se exercente. Dolor hebes, vel gravitatis sensus in renes incumbit. Alvus tardissima et pertinax vix, nisi medicamentis solicitata descendit; excernitur vero durum, albidum aut subviride, fœtoris soliti ex-

---

* "Clinical Lectures."

pers. Perraro sane alvus *Diabeticis* fluit: quod tamen duobus vel tribus contingere novi. Cutis perquam inarescit; subinde etiam præ se squamas fert: eundem sensum contrectanti manui, quem uter aridus aëre plenus, allatura. Nervi summæ cuti subjecti valde hebetari videntur; ipsi enim pili citra dolorem divelli possunt. Neque tamen perpetuum est, ut cutis siccescat: imo vero nonnunquam mollis est et humet, eundem fere odorem, quem acetum, naribus præbitura. Corpus vix præter naturam incalescit; die autem advesperascente, manus et pedes exardere solent. Anhelitus, testante ROLLO, fœtet, et fere subacidus est. Quod ad cordis et arteriarum motum, aliis ægris alius esse notatur, prout varient corporis proprietates, ætas et quæ sunt hujusmodi: plerisque *Diabeticorum*, arteriæ octogies vel etiam nonagies, quibusdam equidem non minus centies et vicies, quaque LX^{ma} horæ parte, micuerunt.

Morbo demum inveterascente, animi et corporis vires admodum dilabuntur; motus, vel levissimi, ægrum tædet; membra omnia emacrescunt. Urina redditur multo crebrior, copiosior, et dulcior: imo vero aliquando libræ L vel LXX intra

horas XXIV excernuntur; ita ut urina cibum potumque ingesta mole pondereve æquet, et interdum exsuperet. Modo ardor et dolor urinæ fluxum comitantur, exulcerato meatus ejus ostio; et *phymosi* simul urgente: mulieribus idem meatus insigniter prurit. Gignendi instrumenta languescunt; coëundi desiderium pene deletur: nec penis, si CLEGHORN fidendum, intendi posse videtur.*

Secernenda omnia et excernenda vitiosa et mutata secernuntur et excernuntur; et potissimum succus ventriculi concoctor, atque *pancreaticus* liquor: modo enim cibus jam diu in ventriculo commoratus, vomitu arte vel sua sponte illato, crudus, id est, vix aut ne vix quidem mutatus, respuitur. Idem præfecto illi militari *Meredith*, ROLLO contigisse memorat.

Æger noctu vigilat; vel, si dormiat, quies somniis terrificis perturbatur: vultus demissus animi et corporis vires lapsas arguit: meus equidem ita ut *melancholia* implicatis se habere solet. Ver-

---

* ROLLO "on Diabetes," p. 168.

tigo et dolor capitis vexant; auditus hebetatur; oculi cavi sidunt, et caligant: vel imago cujusvis rei duplex hominem ludit. Non raro, malis jam ad finem properantibus, *cataracta* ipsa, vel *amaurosis,* accedit.

Morbo ingravescente, arteriæ micant exiliter, creberrime, et modo inæqualiter: spiritus languide, crebro et difficulter trahitur et emittitur; maximeque, motu perturbatur. Cutis hic illic ulceribus erumpentibus fœdatur: dira febris *hectica* infelicem sudoribus et alvi fluxu macerat: aqua intercute extrema intumescunt: morsque tabefactum serius ocyus absumit.

Paulo ante mortem, cibus et potus omnino appeti desinunt: urinæ copia naturæ fere conveniens renascitur: crebro, guttatim, nec citra dolorem redditur, moliminibus continenter ad eum finem editis.

Quosdam mox perituros *phthisis pulmonalis* ipsa invasit; alios hydrops tumefecit.

Alios citius alios serius *Diabetes* enecare solet: nonnullos, paucis hebdomadis exactis, absumpsit: quosdam annos complures vexavit.

QUÆDAM DE URINÆ ET SANGUINIS APUD DIABETICOS PROPRIETATIBUS.

Urina *Diabete* implicatis, quod ad molem et indolem, abnormis est. Longe sæpius cibum et potum ingesta mole exsuperat: certeve, excreta omnia ingestis copiosiora sunt. Quod ad dotes, urina, quam prosequor, colorem sibi præfert stramineum, vel subflavum, modo subviridem: vix unquam crassa est, et jam emissa pellucere solet. Haud raro equidem nubeculam pertenuem quasi innatantem exhibet; et subinde pellicula oleosa obtegitur: violam redolere fertur. Sapore subdulci, simulque ingrato os degustata offendit. Si tarde et lente calefacta in sublime feratur, superest natura concreta fusca, tenax, subdulcis: nimirum *saccharum*, haud sane sincerum; at alienis mistis inquinatum. Hujus copia aliis *Diabeticis* alia est; eidemque alias alia. Modo pars octava, frequentius autem, non nisi duodecima urinæ redditæ ex hocce *saccharo* conficitur. Quod ad pondus *specificum*, urina sanorum propria tantum

Diabeticæ distat, quantum isti numeri MXV et ML, vel MXX et ML: integra enim valetudine, modo numerus MXV, modo MXX pondus *specificum* insignit. *Diabeticum* quendam novi, in Valetudinario Regio Edinensi cubantem, cui urina tanto gravior fiebat, ut idem numero MLVII notaretur. Quinetiam, urinæ est *Diabeticæ* parum aut nihil habere *ureæ*, *phosphatum*, *acidi*que *phosphorici*: *albumine* autem redundare.

Quum igitur *saccharum*, natura *nitrogenii* expers, urinæ subest, *urea* contra, hujusce principii dives, pene deest; non admirandum est, hunc humorem, secus atque homine sano, conservatum non putrescere; at fermentescere; et exinde fieri prius liquorem, vini instar, ebrietati movendæ idoneum, dein acidulum, id est *acido acetico* imbutum. Notatu dignum est, *saccharum*, *alcohol*, et *acidum aceticum* ex iisdem principiis constare; nempe, *carbonio*, *hydrogenio*, et *oxygenio*: ideoque motum principiorum intestinum facile mutationem jam dictam moliri.

Neque sanguis non multum vitiari videtur, certeve, alius esse, atque in valetudine secunda.

Vena incisa, missus tardius et ægrius concrescit, coagulumque mollius exhibet, quam sani proprius. Serum opacum et quasi lacteum prodit; gravius simul quam ex consuetudine: refert enim MARCET,* cuidam *Diabete* vexato ejus pondus *specificum* numero, 1035.4 designatum esse. *Saccharum* eidem subesse denegamus, ROLLO, CRUICKSHANK, aliisque acerrimis scrutatoribus confisi: quos omnino latuit. DOBSON †, igitur, qui unicus sanguinem hoc principio imbui contendit, errasse, judicare licet. Illi sane medici, siquidem, *acido nitrico* sanguini *Diabetico* adjecto, *acidum oxalicum* nascitur, *saccharum* inesse conjiciunt; quos tamen opinio fefellit inanis; *acidum* enim *oxalicum* e sanguine hominis integri eadem ratione elici potest. HOPE et WOLLASTON, ‡ viri *chemiæ* peritissimi, summaque fide dignandi, iis assentiuntur, qui *saccharum*

---

* "Medico-Chirurgical Transactions," vol. ii. p. 384.

† "Medical Observations and Inquiries," vol. v. p. 304.

‡ "Philosophical Magazine," vol. xxxvi. p. 69.

adesse non credunt. Huic rei potissimum institi; eo quod indicare videtur *saccharum*, qua urina imbuitur ab actione arteriarum renum secretrice gigni; nec antea quam humores circumeuntes isti actioni subjiciantur, existere. Huc accedit, sanguinem hoc morbo laborantibus diu, imo vero dies XVI, (uti a ROLLO accepimus), conservatum non putrescere: scire autem licet, sanguine, valetudine secunda, celeriter putredinem ruere.

Hisce omnibus in animo habitis, statuere oportet, sanguinem, haud secus atque urinam, *nitrogenii* æquo pauperiorem esse. *Fibrina* hoc principio, abundat: et eam parciorem quam fert natura, sanguini *Diabetico* contingere eo suspicor, quod vix et tarde hic humor concrescit. Denique, uti *fibrinæ* minus quam secunda valetudine, sic quoque *chylum* sanguinem inesse conjicimus, sero lacteo perspecto. Qua de re paulo infra fusius disserendum.

QUÆ PATEFACTIS CADAVERIBUS INTROSPICIANTUR.

Nihil magis contulit operæ ad morborum sedes causasque continentes illustrandas, quam introspecta absumptorum cadavera. *Diabetes* vero parum hinc lucis accepit: quæ enim vitia oculis obveniunt, alia sunt aliis: sic ut dubitare liceat, quæ morbum propositum genuerint, quæ ab eodem provenerint; quæ demum aliunde orta sunt.

Plerisque *Diabeticorum*, renes amplificati reperiuntur, flaccidi, fabricæque mollioris quam fert natura: aliis induruere, simul grandiores: quibusdam flaccent et extenuantur. Interdum, altero integro, alter vitiosus esse conspicitur. Modo arteriæ venæque renum præter consuetudinem sanguine turgent; perinde quasi ceram coloratam, qua *anatomici* vasa implere solent, accepissent; aut inflammatio antecessisset. Subinde *papillæ* pure scatuere. *Ureteres* aliquando eodem humore referti intumuere. Vesica urinæ nonnunquam crassior et durior extitit, modo simul coarc-

tata, modo ampliata. Glandes *conglobatæ* omnes, *lacteæ* et *lymphaticæ* persæpe æquo sunt grandiores et duriores. Arteriæ porro et venæ *mesentericæ* cruore præter modum refertæ conspici solent. Jecur, multo sæpissime, sanum nihil insoliti sibi præfert: neque MEAD audiendus, hoc viscus *Diabetis* sedem professus. Si quando igitur vitiosum prodeat, alius ejus mali fons quærendus. MONRO Tertius notavit, partem arcus ventriculi majoris *pyloro* proximam sæpe ultra debitum erubuisse; nec alicubi ruborem insolitum prorsus ei defuisse; membranam porro intimam rugas plures et ampliores quam corpore sano, exhibuisse. Ubique corporis, adeps resorptus pene evanuisse videtur: qui vero superest, flavet, *gelatinæ* haud absimilis. BARDSLEY * meminit omnibus *Diabeticis*, quos ipsi curare contigit, pulmones vitia *phthiseos pulmonalis* propria subiisse; nimirum tuberculis obsessos, vel exulceratos. DUNCAN † Secundus memoravit, cuidam *Dia-*

* BARDSLEY'S "Medical Reports."

† DUNCAN'S "Clinical Reports," p. 137.

betico nervum *sympatheticum magnum* utrinque a foramine ubi septum transversum permeat, usque ad *pelvim* eo tumuisse, ut triplo vel quadruplo crassior fuerit, quam valetudine integra: eidem quoque *splanchnicum* nervum utrinque, fere ab origine ad *crura septi transversi*, grandiorem fuisse.

DE SIGNORUM RATIONE.

Hucusque absoluta re proposita, proximum est ut signorum rationem inquiram; perdifficilem sane et obscuram; siquidem causa continens adhuc tenebris velatur. Prætermissis notis levioribus, non nisi quibusdam graviorum insistam. Ex his autem inquisitu dignissima est copia urinæ immanis; potiusve, inquirere oportet, cur excreta omnia cibum potumque ingesta mole exsuperent. Non equidem latitat urinæ copiosissimæ ratio: sanguis nimirum solito uberior ad renes defertur, justoque parcior aliorsum tendit. Eodem quoque spectat sitis quæsitissima, quæ hominem ad continenter bibendum impellit. Quum vero moles

urinæ non raro multo est major quam omnium ingestorum, aliam causam quærendam esse constat. Hunc nodum quidam ita expedire nixi sunt: contendunt vasa *lymphatica* summæ cuti et membranæ *mucosæ* animæ canalium inspersa humorem aëre circumfluo mistum absorbere; qui cito renes adit, siquidem sanguis huc incitatissimo cursu fertur: quinetiam adipem aliasque partes solidas corporis resorpta eodem operam collocare. Non in animo est hic loci fusius anquirere, necne summa cutis unquam res alienas sorbere possit: quam sane quæstionem agitare argumentum non desiderat. Humorem vero a cute absorptum non esse causam urinæ *Diabeticis* copiosissimæ, hinc, ni fallor, apparet: quod, summum corpus oleo oblitum urinæ copiam non minuit; tepidarium adhibitum eandem non auget: quod denique vestitum ipsum isti cutis officio, etiamsi eo fungeretur, obstare oportet.

Rutherford * opinabatur, aquam intra vesiculas pulmonis spiritales confectam ad renesque

---

* Vide Black's "Clinical and Pathological Reports."

delatam, hanc notam singularem, aliis sane causis adjectis, genuisse.

Cutis inarescit, eo quod humores circumeuntes æquo largius ad renes vehuntur; ideoque cæteris partibus quodammodo deficiunt. Res est profecto satis nota, halitum cutis tanto esse minorem, quanto plus renes excernant; contra, homine insudante, urinam parcam fieri. Hinc cursu multum exercitatis, cutis sudore diffluit, urina rufa et parcissima redditur: hinc idem æstate fere omnibus contingit; hyeme vero, cutis sicca parum exhalat, urina profluit multa et diluta. Quidam existimant cutem arentem non signum et effectum *Diabetis*, at inter ejus causas excitantes, habendam esse: quos hallucinatos esse docet sudor hoc morbo tortis interdum profusus, malis nihilo exinde levioribus futuris. Sitis non satiandæ ratio facile patet: nimirum, glandes salivæ secernendæ dictæ minus ejusdem æquo parant, faucesque arent, eandem ob causam, quæ efficit, ut cutis halitus desit. Nec veri est absimile humores oris vitiosos aliquid huc operæ conferre. Siquidem cutis modo acetum quasi olet, suspicari licet, halitum ejus isto acido inquinari: quum

enim sanguis, omnium, quæ secernuntur et excernuntur, genitor, plane Diabeticis vitiatur; omnia excreta mutentur, necesse est.

Quare hoc morbo vexati justo sint cibi edaciores, paulo difficilius est dictu. Quibuscunque enim aliis morbis contingunt cutis arida, alvus pigra, et sitis non restinguenda, iidem quoque cibi fastidio notari solent: id est, succus ventriculi concoctor simul supprimitur. Conjicio, hunc succum acriorem *Diabeticis* quam fert natura, causam esse signi propositi.

DE CAUSIS ABDITIS.

Omnes non pariter opportunos esse, quos *Diabetis* adoriatur, hinc docemur; quod causæ ejusdem excitandi potentes sæpenumero admoventur, ipso non secuturo. Habitum corporis proprium ei favere usus jamdudum demonstravit: hic porro *temperamento sanguineo* indolesque *strumosa* contineri videtur. Inducor, qui ita sentiam, multis *Diabetis* propriis in animo habitis. *Phthisis pulmonalis* scilicet frequenter ei accedit: glandes

mesentericæ et lymphaticæ, cadavere *Diabetici* secto, ita ut *scrophula* prægressa, se habere conspiciuntur: nec raro hic morbus jure quasi hæreditario a majoribus ad natos transferri videtur. ROLLO hoc sæpe evenisse novit, ipse semel. Gentes septentrionales præ iis quæ terras ardente sole tostas ei patescunt; forsitan, quod iisdem natura corporis habitum *scrophulæ* et *phthisi* subeundis idoneum dederit. Jam ad senium vergentes et luxu ebrietateve fracti præ validis et juventa florentibus in *Diabetem* incidunt: pauperes quoque frugibus, istisque parcis, vesci et labore fatigari soliti, admodum sunt proclives. Denique, quicquid vires conterit, veluti animi et corporis nisus vehementes, motus animi sedantes, cœlum humidum aut varium: exinanitiones immodicæ, concubitus nimius, homines ad hunc morbum propensiores reddit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causæ excitantes magna ex parte adhuc latitant. Haud raro, nulla causa evidente prægressa, *Diabetes* accessit: singulæque causarum, quas auctores eum inferre dixerunt, sæpenumero, eodem non illato, admoventur; quo fit ut ancipites, quæ aut quales sint, dubitemus.

Huc vero referri solent, omnia, quæ renes fortiter moveant aut irritent; veluti, præparata ex *meloë vesicatorio*, oleum *juniperi communis*, &c.; frigus corpori jam sudanti allatum; medicamina, quæ alvum acriter solicitant: quinetiam, potus tepidi et fructus aciduli largius ingurgitati. Quinetiam, lac acidum, et victus e farre confectus sæpe hunc morbum excitasse feruntur: quibus potissimum Scoti vesci soliti exinde frequentius quam Angli in eum incidunt. Quicquid genus nervosum vehementer commovere aut perturbare possit, quosdam, præsertim irritabiliores, *Diabete* implicare valet. Complures frigori objecti et defatigati protinus ægrotarunt. Præter

hæc, morbi acuti prægressi, uti febres et inflammationes, cutis ex *rubeola, scarlatina, erysipelate,* &c. deflorescens, exinanitiones suppressæ, inter causas habitæ sunt: quas tamen cievisse ipse nondum usu didici. SYDENHAM* meminit persæpe *Diabetem* febres intermittentes excepisse; præsertim, si venas vacuefacere opus fuerit.

DE DIAGNOSI.

Hic morbus notis sui similibus admodumque singularibus denunciatus, vix alium quemvis eo simulat, ut rei medicæ perito errare liceat. Quamvis enim aliis generibus valetudinis adversæ contingunt urina uberior quam fert natura, marcor et demum febris *hectica;* perspectis tamen aliis signis, dulci urinæ sapore, cute arente et halitum acidulum spirante, fame assidua, &c. dubitare nemo fere medicorum poterit.

---

* Works translated by SWAN, p. 313.

DE PROGNOSI.

Lugendum est omnes fere medicos qui de hoc morbo scripserint, eum nulli fere arti medicabilem, jureque, ut opinor, confiteri. Si equidem ars medicinalis tempestive obnititur, necdum alii morbi cum hoc sociantur; spes non prorsus abjicienda erit. Quod si mala jam diutius traxerint, si valetudinem fregerint; nec æger se medico duci committere velit: vix exitum felicem expectare licebit. Si æger adhuc juventa floreat, si prius integra usus sit valetudine, neque se luxu, gula ebrietateve contriverit; salutem recidivam interdum augurari possumus. Is in bona spe est, certeve minus periclitatur, cui sitis et esuries ingens mitescunt; urinaque parcior esse et naturæ convenientior, cœpit; cui cutis mollior humere incipit; alvusque minus pigra descendit; cui demum animi et corporis robur reviviscit. In præcipiti contra versatur, cui propria signa *Diabetis* increscunt; corpusque lenta tabe extenuatur, su-

pervenientibus *phthisi pulmonali*, diroque hydrope.

DE CAUSA CONTINENTE.

Non in animo est omnia quæ auctores de causa continente *Diabetis* senserint proponere: at potius, iis perspectis, quæ vera viderentur, amplecti; et exinde causam continentem, probabilem saltem, etsi non clarissimis rationibus nitatur, edere.

Hanc igitur multiplicem esse opinor: scilicet, actionem ventriculi renumque abnormem et auctam: istamque actionem, qua *chylus* in sanguinem verti solet, vitiosam et imminutam. De hac causa continente sequitur ut pauca disputem.

Moles ingens urinæ renum, famesque assidua ventriculi actionem concitari et abnormem esse testantur; nec veri est absimile, in animo habita esurie immani, *chylum* citius et copiosius, quam fert natura, progigni. Quæ vero de sanguine jam memoravimus, docere videntur, *chylum* non intra pulmonem solitam mutationem subire: ni-

mirum, non penitus in *fibrinam* et rubras particulas verti; serum enim sanguinis lacteum esse *fibrinam*que molliorem et imperfectam protulimus; quod ad *chylum* parum vel non rite mutatum referendum conjicio. Hic igitur sanguis, vitiosus atque ad renes potissimum delatus, facit ut corpus tabescat, et ut *saccharum* ab actione secretrice arteriarum *renalium* fiat. Uti enim *urea* ibidem e sanguine integro gignitur, ita *saccharum* ex hoc humore mutato secernitur. Neque intellectu difficilius est, quo pacto urina dulcis e sanguine *fibrinæ* paupere et *chylo* imbuto paretur, quam quare urina salibus *phosphoricis* et *urea* dives e sanguine sani hominis enascatur. Hinc porro constat, cur cutis halitus, liquor ventriculi, aliique succorum *Diabeticis* vitientur: quippe, qui omnes e sanguine malo conficiuntur.

DE MODO CURANDI.

Siquidem causa continens hujus morbi pene ignoratur, satis constat ejus curationem vix ad consilia perficienda referri posse. Alii aliis usi sunt remediis, prout quisque de *Diabetis* natura judicaverit. In animo est, non nisi iis insistere, quæ hodierni fide digni adhibere solent; atque ipse inter medicinam faciendam ministraverim. Ex his vero victus e carnibus præpollere videtur: quem Franciscus Home * omnium primus *Diabeticis* adhibuit; atque nuperi quidam, præsertim Rollo, permagni fecerunt. Hi medici et eorum æmuli hoc malo plexos alere consuerunt carne bovilla aut porcina pinguiori, tantum non putrescente, et ovis; simul denegatis et sublatis farre omnigeno, fructibus acidulis, naturis *saccharo* imbutis, vino, cerevisiis. Ne multa, fruges omnino dari nolunt; certeve, has quam parcis-

* "Clinical Experiments."

sime concedunt; nec nisi eas, quæ parum aut nihil *sacchari* habeant; qualia sunt olera, nempe brassica, *lactuca sativa*, &c. Contendunt, vel pauxillum panis iis ægris nocuisse, quibus olera impune fuerint ingesta. Siquidem victus propositus perquam ingratus est, crebro materiam ex qua conficitur, quantum fieri possit, mutare oportet; quo minus æger remedio tam crudeli se committere nolit. Quoscunque *Diabeticos* ita curavi, iis urinam exinde parciorem et minus dulcem fieri notavi. Neque vero iis assentior, qui laude insigni hoc remedium prosequuntur: non enim actionem vitiosam *sacchari* genitricem tollit; at solummodo principia, unde idem fieri possit, subducit. Parvi igitur habendum est auxilium, quod ægro summam facessit molestiam, nec simul malorum radicem tangit. Fateri tamen oportet victum istum, de quo agimus, ipsa injucunditate, ventriculi actionem abnormem sedare.

Eundem in finem, Rollo* *sulphuretum potassæ*, vel *hydro-sulphuretum ammoniæ* præce-

* Rollo "on Diabetes."

pit: quæ parce ingesta ventriculi vires sedare, eoque succum ejus concoctorem minuere, credidit.

WATT * sanguinem, vena brachii incisa, utiliter et tuto uti ipsi videtur, detraxit. Quem alii imitati summo etiam fructu venas vacuefieri profitentur; imo vero, hoc remedium iis *Diabeticis* profuisse contendunt, quibus antea vires non leviter concidisse videantur. Conjicio hirudines circa renes impositas longe sæpius opitulatum iri.

Novi *digitalem purpuream* quam maxime profecisse, ministrante medico spectato MACARTNEY ægris in Valetudinario Liverpooliensi cubantibus: qua re et actione sedatrice hujus plantæ perspectis, vanam eos opinionem ludere existimo, qui eandem urina movenda *hydropicis* auxiliari perhibent. Multo frequentius, medicus jam dictus *opium* ei adjicere solebat: urinam inde decrescere, et *sacchari* pauperiorem fieri observabam.

---

* WATT "on Diabetes."

Opio complures fisi sunt: quod WARREN * multis succurrisse tradidit. Quidam mihi amicissimus nuper retulit, se multos *Diabeticos* cognovisse, quibus *opio* unico concesso, urina minus dulcis et parcior excerni cœpit. Semel *opium kino* junctum adhiberi vidi; nimirum, *pulverem kino compositum ph. L.*: urinæ sane copia decrevit: æger tamen obiit. Multis placuit *pulverem ipecacuanhæ compositum* dare, quo, sudore elicito, urina minuatur: huc optime accedit tepidarium; quod cutem emollit, ejus halitum movet, simulque sitim restinguit.

Astringentia porro ingeri solent; eo quod multi sibi persuaserunt renes *Diabeticis* admodum laxari. Huc referenda *arbutus uva ursi, super-sulphas argillæ et potassæ, aqua calcis, kino, extractum acaciæ catechu*, et *hæmatoxyli, acidum sulphuricum.* FERRIAR † literis mandavit, corticem *cinchonæ officinalis*, foliis *arbuti uvæ ursi, opio*, et *aqua calcis* mistum, multos plurimum levasse.

* "Transactions of London College of Physicians," vol. iv.

† "Medical Histories and Reflections."

Siquidem alvus torpere solet, medicamentis acrioribus solicitari debet: quæ duplici ratione juvabunt; scilicet, dejectione molienda (unde tollitur summa molestia), necnon humoribus a rene ad intestinum impellendis; quo fit ut minus urinæ secernatur. Usu sane docemur, dejectionem alvi copiosam molem urinæ minuisse. MACARTNEY mecum communicavit, cuidam *Diabetico* alvi purgantia, prætermissis aliis remediis, ita concessa ut quotidie ter quaterve dejectiones liquidæ prodierint, salutem intra paucas hebdomadas reduxisse: viresque corporis et animi eidem ægro redintegratas esse. Satius est, me judice, lenioribus quam acrioribus medicamentis uti; nisi alvus pigerrima vix cieri possit. Plerisque igitur dandi sales medii, veluti *sulphas magnesiæ*, *phosphas sodæ*, &c.: necnon, *rhei palmati* radix, oleumque e seminibus *ricini communis*. Quod si opus sit valentioribus, utendum erit iis, quæ arterias intestini crassi secretrices incitant; scilicet *gutta gambogia*, *gummi-resina convolvuli scammoniæ*; et aliis istiusmodi.

Haud ignoro multa alia remedia usitata fuisse: quæ tamen præterire quam inutiliter sermonem

produceremalui.—Opusculo jamfinito, nihil superesse videtur, nisi illud: confitendum esse nullum *Diabeticorum* apud Scotos hucusque ad sanitatem reductum fuisse: quod, uti a CULLENO accepimus, sic quoque hodierni, usu eheu! docti, cognoverunt.

"My task is done—my song hath ceased—my theme
Has died into an echo; it is fit
The spell should break of this protracted dream.
The torch shall be extinguished which hath lit
My midnight lamp—and what is writ, is writ.—
Would it were worthier!"

BYRON, *Childe Harold*, *Canto* IV. *st.* 185.

FINIS.